

piunt homines de additione tertij. Alij dicunt *Opiniones* quod tertium dicitur compositum ex duobus, *diuersa-*
quoniam neutrīs componentiū assimilatur, et
vocatur nomine omni corporū. Alij dicunt quod debet vere corpus his duobus adiungi quia fortius erit opus et in breui tempore ipsorum ope ratio finietur: Sed quocunq; modo teneatur opinio, numerus non augetur. Ad evidentiam notandum, quod Kibric est pater Mercurij et omnium liquabilium: Et hoc dicitur illud vnum, quod est carum & vile, argentum vero viuum, quod est filius eius, licet ab eo sit complexionatiue diuersum et extraneū, & sic se habet, sicut pater & filius, & si ad datur his duobus tertium, videlicet corpus metallicum, numerus duorū propter hoc nō multiplicare tur, nec etiam nomina, eo quod corpus metallicum ex his duobus est compositū. Constat ergo manife ste, quod eius cōpositio, quocunq; modo reiteres ex duobus constat. Et sciendū est postq; ista duo ^{Tria sunt} _{duo.} coniungūtur, semper vocantur uno nomine. Hoc tamē vnu quod dicitur æs philosophorū nominat nominib. omniū rerum istius mundi. Et propter hoc tanti errant, tum propter multiplicitatē nominū, tū etiā propter ignorantia debitę proportionis. Itē quando audis aliquid de fermento philosophorū, nihil aliud intelligas q̄ corpus perfectum, scilicet perfectissime mūdatum et sublimatum. Et ^{Fermentum} _{philosopho} rum.

dd ij